



## **Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum**

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1675**

Titulus. XV. De Eo, qui mittitur in possessionem causâ rei servandæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

Notandum quintò. In optione ejus, qui secundò appellavit à sententia definitiva contra se lata, est, non velit prosequi primam appellationem ab interlocutoria, an secundam à definitiva sententia, nisi ob aliud impedimentum justum non admittatur: quòd si appellans secundam appellationem prosequatur, & contra illum excipiat, primam fuisse nullam, adeoque ipsum contumacem fuisse post appellationem, poterit replicare, secundam fuisse justam, de qua incidenter cognoscat Judex, ad quem appellatum, utrum sit admittenda secunda appellatio, an non. *Gl. in cit. Clem. unic. V. Manifestè; propè finem versic. Sed secundum hoc; Et ibid. Abb. n. 2.*

Notandum sextò. Si appellatio ab interlocutoria, ante sententiam definitivam, sit manifestè frivola, tunc appellans non potest denuò appellare à definitiva. *cit. Clem. unic. in fin.* Sunt autem quatuor modi, per quos qualibet appellatio ab interlocutoria redditur manifestè frivola, ita, ut, qui primò appellavit ab interlocutoria, excludatur à facultate iterum appellandi à definitiva, videlicet, quia nulla causa in prima appellatione fuit expressa, vel non legiti-

ma, etsi fortè vera: vel quamvis legitima, manifestè tamen falsa: vel denique, si Judex ad quem pronunciaverit, in presentia appellantis, falsam causam in prima appellatione expressam esse, & ab eo non fuerit appellatum: tunc enim appellans censetur manifestè contumax; quia tacendo videtur acquiescisse illi pronuntiationi Judicis ad quem. *Gl. in cit. Clem. unic. in casu in notat. Et V. Manifestè. h. r. Et Abb. ibid. n. 3.*

Notandum septimò. Verus contumax, qui scilicet personaliter citatus fuit, & non venit, nec probat legitimum impedimentum absentia: & multò magis evidens, seu manifestus contumax, qui nuncio citanti respondit, se nolle venire, non potest appellare, nec auditur appellans: fictus verò contumax, qui non in persona, sed ad domum citatus non comparuit in termino præfixo, modo prædicto, appellare potest; nisi judicialiter probari possit, quòd citatio ad ejus notitiam pervenerit; tunc enim habetur pro vero contumace, si nequeat probare, se legitime impedìtum fuisse, quòd minus compareret. *Gl. in cit. Clem. unic. V. Manifestè; Et ibid. Abb. n. 4. Et 5.* Verùm, quæ hinc dicta sunt, melius intelligentur ex ijs, quæ infra dicentur *tit. 28. de appellat.*

TITULUS XV.

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESSIONEM, CAUSA REI SERVANDÆ.

Quia propter contumaciam Rei Actor interdum mittitur in possessionem rei petita, vel bonorum debitoris; ideo convenienter post præcedentem de contumacia, annectitur iste Titulus, qui etiam exstat in Sexto. Est autem duplex missio in possessionem bonorum, aut rerum. Prior ex primo decreto Judicis, posterior ex secundo decreto Judicis; de utraque hinc agitur, licet in Rubrica hujus Tituli tantum fiat mentio de priore: unde colligitur, quòd nigrum quandoque sit generalius rubro; ut notat *Gl. in Rubrica huius Tituli, id est, plura continentur in textu, quàm in Rubrica, seu inscriptione Tituli.*

S. I.

Quid sit missio in possessionem rerum, vel bonorum ex primo decreto, Et quis eius effectus, Et quando, ac quomodo concedatur, ac fiat?

I.

**S**SERTIO I. Missio ex primo decreto est, & dicitur illa, quando Judex primò jubet partem præsentem, ob contumaciam absentis, mitti in possessionem bonorum ejus, custodia causa, per quam immisionem in actione reali, nec dominium, nec vera, & stabilis possessio rei acquiritur Actori immisso, sed potius detentio, seu rei custodia tantum, ita tamen, ut, si Reus intra annum, suâ culpâ, cautionem de se sistendo in Judicio non præstet, etsi voluntatem habuerit eam præstandi, post annum, missus in possessionem ex actione

reali verus possessor rei constituatur, & quidem stabiliter, seu irrevocabiliter, salvo manente jure proprietatis parti adversæ absenti; prout sumitur ex *c. Constitutus; r. h. r.* Nam ortâ controversiâ inter Priorem, & Canonicos de Quisiburg, & Præpositum de Beril, super possessione Ecclesiæ de Lamento, eam causam Papa Alexander III. quibusdam Judicibus delegavit: sed quia Præpositus fuit contumax, Prior, & Canonici, ad petitionem eorum, missi fuerunt in possessionem ejusdè Ecclesiæ, causa rei servandæ, seu custodiendæ tantum. Cum autem Præpositus intra annum cautionem non præstiterit de stando, seu parendo juri, licet voluntatè præstandi habuerit, & pars altera eam recipere parata fuerit; ideo Papa decrevit, ut post elapsum annum, veram possessionem Ecclesiæ Prior, & Canonici, absq; contradictione, retineant, salvo jure proprietatis, si super eo Præpositus agere in Judicio voluerit. Ratio verò, cur non sufficiat ad pœnam contumaciæ evitandam, quòd Reus habuerit intra annum voluntatè præstandi cautionem de parendo juri, si in

effectu non præstiterit, ratio, inquam, est, quia, ubi factum requiritur, non sufficit voluntas facienda sine effectu, etiam ad pœnam evitandam, modo facultas implendi voluntatem, nempe præstandi cautionem, non deficit. *Glos. hic V. Voluntatem.* nam voluntas habetur pro facto, ubi factum excludit necessitas, seu necessarium impedimentum, teste S. Bernardo Epistol. 77. ad Hugonem de S. Victore. Vel, nisi non per Reum absentem, sed per partem adversam steterit, quod minus cautio reciperetur. *Gl. hic V. Parati.* quid autem dicendum sit, si per Judicem stet, mox dicetur.

II. Porro, si per Reum absentem non stetit, quod minus intra annum cautionem præstaret, ac possessionem reciperet, quia nimirum se sistere, aut cautionem præstare impeditus fuit, vel cautio oblata non fuit à Judice acceptata; tum etiam post annum cautio recipi, & possessio rei ipsi restitui debet; ut » constat ex c. *Cum sicut*; 2. *h. t.* Nam, cum inter » Abbatissam, & Conventum S. Trinitatis, ex una » parte, & Petrum Subdecanum ex altera, orta esset controversia super quadam Ecclesia, ea à Sede » Apostolica delegata fuit tribus Judicibus, qui Moniales, propter contumaciam Subdecani, miserunt » in possessionem rei petita, custodia causâ: quod » cum cognovisset Subdecanus, accessit ad unum ex » delegatis (nam alter eorum erat peregrinatus, & absens, tertius verò jam mortuus) eique offerens cautionem instanter postulavit possessionem » intra annum sibi restitui, sed non potuit id obtinere. Quare Papa Clemens III. mandavit Episcopo, & Archidiacono Eboracensi, ut receptâ à » Subdecano cautione de sistendo se in Judicio, seu » stando juri, eum restituant in possessionem, non » obstante eo, quod annus elapsus sit, si per ipsum » non stetit, quod minus intra annum cautionem dederit, & possessionem receperit.

Ratio est: si enim per me non stat, quod minus faciam, quod debeo, non est mihi imputandum, ut ait *Gl. hic V. Non steterit.* & expressè habetur in *Reg. jur. 41. in 6.* Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum, & ubi non est culpa, nec pœna esse debet. Quare cum Reus absens in casu hujus 2. c. non tantum voluerit, sed etiam actu obtulerit cautionem, sed defuit, qui eam reciperet, ideo id ei imputari non debet, & absente illo, qui fuit ex causa necessaria in possessionem missus, custodia causâ, non potest possessio restitui parti adversæ. c. *Dilecto*; 28. de *V. S. Gl. fin. in cit. c. 2.* Neque etiam potuit tertius Judex delegatus, sine alijs duobus, solus restituere Reum in possessionem, quia solus non habebat jurisdictionem, nam cum causa pluribus simpliciter est delegata, unus, ceteris absentibus, vel mortuis, procedere non potest. c. *Causam*; 16. & c. *Uno*; 41. de offic. jud. deleg. *Gl. in cit. c. 2. V. Sed non potuit. h. t.* Debet autem hæc cautio de parendo juri præstari, vel parti adversæ, vel eâ absente, Judici: quod si neuter haberi possit, præstabitur alicui honestæ personæ, quæ recipiat cautionem nomine adversarij. *Gl. in cit. c. 1. V. Parati. h. t.* & sic, etsi in casu *cit. c. 2.* Judex non poterat cautionem recipere tanquam Judex, cum solus non haberet jurisdictionem, potuit tamen recipere eam nomine adversarij, tanquam persona honesta. *Gl. ibid. V. Sed non potuit.*

III. Pro declaratione utriusque hujus c. Notandum præterea primò. Si agatur actione reali contra Reum peremptoriè citatum, & contumaciter non comparentem, tum Actor ex primo decreto Judicis in possessionem rei petita, super qua scilicet controversitur, illius custodiendâ causâ, immittitur, & quidem totius rei, si tota petatur, vel in partem tantum, si pars solùm petatur, ita tamen, ut, si intra annum Reus contumax compareat, & refundat expensas ab Actore factas, ob ejus contumaciam, & cautionem præstet de Judicio sita, restitui ei possessio debeat; post annum verò finitum, Actor immissus absolutè, & irrevocabiliter verus possessor efficitur, ita, ut fructus ex re percipere, & eam usucapere possit, aliâque possessionis commoda habere. *cap. ult. §. In alijs; junct. Gl. V. Effectus. C. V. Verus; Ut lite non contestatâ & c. c. Pastoralis; 11. §. Præterea; in fine, de offic. judic. ordin.* Neque tunc auditur amplius Reus super possessione, sed super proprietate tantum, cujus probandâ onus ipsi tanquam Actori, seu petitori incumbit. *cit. c. 1. h. t. Hilrop. in process. judic. p. 2. tit. 7. §. In quibus committ. contumacia. n. 38. & seqq.*

IV. Notandum secundò. Est verò controversia inter DD. an, si agatur actione reali, missus ex primo decreto in possessionem rei verè possideat, etiam intra primum annum: nam communiter dicunt, statim verè possidere, sed non incommutabiliter, seu irrevocabiliter; quia, si Reus intra annum venerit, restituetur ei possessio. *cit. c. ult. §. In alijs; Ut lite non contestatâ & toto hoc tit. & l. Siquis; 8. §. pen. C. de præscr. 30. vel 40. ann. idque probant præcipue ex *cit. cap. Pastoralis; 11. in fine.* ubi dicitur, quod Reus contumax comparens, & offerens cautionem post annum, recuperet possessionem: ergo illam antè amiserat. idemque habetur in *cit. §. In alijs. Durand. in spec. l. 2. part. 1. tit. de primo decreto. §. ult. n. 9. Merant. de ord. judic. part. 6. tit. de contumacia. num. 11. & plures alij.* Contrarium tamen tenent plerique Canonistæ, quod nimirum etiam in actione reali Actor immissus non consequatur veram, ac stabilem rei possessionem, sed post annum demum verus efficitur possessor: ergo intra annum non fuit, sed custodiam tantum Rei habuit; ut constat ex *cit. c. ult. §. In alijs. cit. c. Pastoralis in fine. c. 1. c. 3. junct. Gl. V. Custodiæ causâ. & c. 4. h. t.* ex quibus juribus patet, quod Actor missus in possessionem bonorum, intra annum, non sit verus possessor, sed custos tantum: nec facit fructus suos, sed tenetur eos restituere Reo venienti intra annum. *Abb. in cit. §. In alijs. n. 5.* Nec obstat, quod Reus veniens intra annum possessionem recuperet, & sic videtur eam amisisse, & Actorem immissum prius verum possessorem fuisse: nam id exponit *Gl. in cit. §. In alijs. V. Possessionem.* recuperet, id est, recipiat detentionem possessionis, quam Actor habebat: vel recuperet possessionem, id est, retineat veram possessionem, quam non amisit.*

V. Notandum tertio. Immissio ex primo decreto Judicis, rei servandâ, seu custodiendâ causâ, etiam fieri potest in causis spiritualibus, propter contumaciam Rei, v. g. si agatur de proprietate Ecclesiæ, vel jure patronatus; ut constat ex *cit. cap. 1. & ibi Gl. V. Servandâ; & cap. 2. h. t.* & tradit *Glos. in cap. unic. V. Viosus; eodem in 6. ubi ait: si non*

Si non agatur de Ecclesia, tanquam de beneficio, sed tanquam de proprietate, tunc bene habet locum missio in possessionem. *Abb. in cit. c. 2. n. 2. h. t.* & sic etiam in spiritualibus missus in possessionem ex realactione, post annum, sit verus, seu stabilis, & irrevocabilis possessor. *Abb. ibid. n. 3.* Secus, si agatur de jure, seu titulo beneficii; tunc enim non potest fieri hæc missio in possessionem ex primo decreto, seu custodia causâ; ut ex infra dicendis patebit.

VI. Assertio 2. Si Reus personalis actione conventus contumaciter absit, ante litem contestationem; tunc Actor, seu Creditor, propter contumaciam Rei, seu debitoris peremptoriè citati, examinato negotio, custodia causâ, immittitur in bona Rei, seu debitoris: per quam immisionem Actor, seu Creditor non acquirit veram possessionem rei, secundum omnes, sed tantum detentionem. *l. Cum legati; 12. ff. quibus ex caus. in poss. eat. ut tædio affectus tandem veniat responsum petitioni Actoris. Wesenbec. in paratit. num. 8. ff. Eodem. & quidem Actor primò mittitur in possessionem, seu detentionem, custodia causâ bonorum mobilium ipsius Rei, seu debitoris; postea etiam immobilium, si fortè mobilia non habeat, vel ea non sufficiant; ac denique etiam rerum incorporalium, ac nominum, sive actionum contra suos debitores. *Durand. in spec. l. 2. part. 1. Rubric. de primo decreto. §. Restans. num. 1.* Et quidem fit hæc immissio pro mensura, seu quantitate debiti petiti, & in libello declarati. *cit. c. fin. §. In aliis; Ut lite non contest. c. c. l. Cum proponas; 9. junctâ Auth. Et qui jurat. C. de bon. auct. judic. possid. Creditor autem, etsi rem, in quam missus est, non possidet, sed solum detinet, ut dictum, est tamen in possessione rei: possidere autem, & esse in possessione rei longè diversa sunt. *l. 3. §. ult. l. Siquis autè; 10. §. 1. ff. de acquir. poss. Et hinc missus in possessionem, custodia causâ, ex primo decreto, Dominum, & possessorem expellere nequit è possessione rei, sed simul cum Reo, seu debitore rem tenet, & cum eo in fundo, ac bonis commorari potest, & curare debet, ut fructus colligantur, & conserventur, & ne à debitore consumantur.***

Imò potest etiam creditor immissus colligere fructus, & custodire, vel etiam, si tempore perirent, vendere, & pretium, quasi esset depositum suum, servare, & si debitor fundum colere negligat, ipse creditor immissus colere potest, vel alteri fundum locare. *l. In venditionem; 8. §. 1. ff. de reb. auct. judic. possid. Wesenbec. c. l. Hiltrop. num. 11.* Non tamen creditor immissus lucratur fructus, nec inde alitur, sed eos restituere debet Reo, seu debitori. *l. Fulcinius; 7. in princ. ff. quib. ex caus. in poss. eat. vel in fortem computare, quamvis sumpus, quos facit in fructibus colligendis, vel in re, in quam missus est, deducere possit. l. Pretor ait; 9. §. Quod ait; cum duob. seqq. ff. de bon. auct. jud. possid. Wesenb. c. l. Hiltrop. n. 11. & 12.* Quandoquinque autem Reus, seu debitor, in cujus bona immissio ex primo decreto facta est, saltem ante secundum decretum venit, & satisfacit de se sistendo in Judicio, auditur, & recuperat rem detentam, cum fructibus perceptis, modò expensas etiam refundat creditori. *cit. Auth. Et qui jurat. C. de bon. auct.*

Tomus II.

*jud. possid. Schneidew. Instit. de interd. §. 1. num. 14.*

VII. Assertio 3. Si Reus, in cujus bona immissio facta est ex primo decreto, repetens possessionem alleget, se contumacem non fuisse, restituitur in pristinum statum, præstitâ cautione, & dilata condemnatione in expensas, ad quas non condemnabitur, si postea constiterit, eum non fuisse contumacem; secus, si de contumacia aperte constaret; tum enim non auditur, nisi expensas etiam solvat, & restituat; prout sumitur ex c. *Cum venissent; 3. h. t.* Nam, cum Abbas S. Angeli controversiam haberet super quadam possessione contra Petrum Gallen, Legatus Sedis Apostolicae causam illam delegavit quibusdam Judicibus, ut eam, secundum jus (commune scriptum, quod est species opposita consuetudini, quæ est jus non scriptum) & bonam, seu rationabilem consuetudinem Provinciae, definirent. Sed, cum Judices, secundum jus tantum procedere vellet in causa, Petrus ad Sedem Apostolicam appellavit. Ipsi verò Judices nihilominus procedentes partem adversam in possessionem rerum petitarum, custodia causâ, miserunt, ita, ut, si Petrus intra annum, & diem (computato ipso die termini, nam aliis dies termini non computatur in termino, ut quando annus tantum requiritur, sicut in c. *1. h. t. Barb. hic n. 3.*) præstaret cautionem sistendi se in Judicio, & pro expensis parti adversæ solveret xxx. libras argenti, possessionem reciperet. Postquam verò Legatus ille discessit, & alius Provinciam ingressus est, Petrus intra annum cautionem parendi juri coram illo obtulit, & possessionem sibi restitui postulavit, paratus etiam expensas litem parti adversæ solvere, quas tamen dicebat, sex librarum summam non excedere: Abbas verò xxx. libras sibi restitui postulavit. Quare Papa Innocentius III. rescriptis duobus Episcopis, ut cautione sufficiente præstitâ, in possessionem eundem reducant: ad restituendas verò expensas non compellant, si consuetudinem, quam allegat, laudabilem esse, constiterit, quia tunc rationabiliter appellavit: si autem laudabilis non sit, cum inde appareat, eum frivole appellasse, ad eas expensas solvendas compellatur, quas constiterit, Abbatem idcirco necessarias in litem fecisse.

VIII. Pro declaratione hujus c. Notandum primò. Si Reus contra Judicis processum appellet, sed appellatio sit, vel videatur frivola, seu illegitima esse, tunc Actor in possessionem rerum petitarum, custodia causâ, non obstante appellatione, immitti potest; si verò postea appareat, appellationem rationabilem, seu legitimam fuisse, tum possessio, præstitâ cautione, Reo restitui debet. *Gl. magna in cit. c. Cum venissent; in notat. h. t.* neque is ad solvendas expensas tunc cogi potest: quia, si constet, Reum contumacem non fuisse, non tenetur expensas solvere. *c. Venerabilibus; 7. §. Idem est de sentent. excom. in 6.* nam condemnatio expensarum est pœna, respectu solventis, quamvis sit restitutio, respectu eas recipientis: ubi autem non est culpa, non est imponenda pœna: ideo, si Reus non fuit contumax, non potest condemnari ad expensas, quæ in pœnam contumaciæ solvi debent. *Vivian. in Ration. Jur. Pontif. in cit. c. Cum venissent.*

Notandum secundò. Contumax non debet condemnari in expensas necessarias solvendas partem ad-

ti adversæ, nisi prius Actor juramentum præstet, se tantas expensas, ob contumaciam Rei, facere debuisse, & postea accedat Judicis taxatio. *l. Sancimus; 15. C. de judic.* Et hinc in casu hujus c. Judices delegati malè processerunt; tum quia nimis præcipienter condemnarunt Reum in expensas, ad petitionem Actoris, non præmissio ejus juramento, nec taxatione Judicis; tum quia condemnarunt Reum in expensas, tempore factæ immisionis in possessionem; cum condemnatio expensarum debeat fieri tempore præstandæ cautionis, quo Reus restituendus est in possessionem. *Arg. huius cap. in fine. & cap. ult. §. In aliis, Ut lite non contest. & c. Gl. in cit. cap. 3. V. Restitueret; & Abb. n. 7.*

Notandum tertio. Ex eo, quòd Papa hic mandat inquiri de appellatione Rei, an ea fuerit frustratoria, & irrationabilis, an legitima, & rationabilis, colligitur, quòd Reus non renunciavit appellationi, nec ab ea recessit per oblationem cautionis; sed quia Actor noluit recipere cautionem, & restituere possessionem, licuit statim Reo prosequi appellationem, & ita, quia non per Reum stetit, quòd minus daretur cautio, & reciperetur possessio, sed culpâ adversarij, seu Actoris id factum est, qui noluit oblationem recipere; ideo id Reo quoad possessionem recuperandam obesse non debet. *Gl. in cit. c. Cum venissent. V. Oblit. & V. Rationabiliter, Arg. c. 2. h. t.* Multùm autem profuit hæc appellatio Reo; quia, si legitime appellavit, non debet condemnari in expensas: si non legitime appellavit, condemnabitur tantùm in necessarias expensas, quas idcirco fecisse adversarium constiterit: alioquin verò, si non appellasset, omnes simpliciter expensas restituere debuisset. *Gl. in cit. c. 3. V. Oblit. & Abb. n. 9.*

X. Assertio 4. Si Reus personaliter citatus ad remota loca se conferat, nullo relicto legitimo Procuratore ad lites, tunc debet publico edicto ad domum ejus affixo iterum citari, & si nemo appareat, qui eundem defendat, actor jure petere potest, ut mittatur in possessionem rerum petitarum, de quibus quæstio vertitur, custodiæ causâ; prout statuit Gregorius IX. in cap. Si adversarius; 4. & ult. h. t. Ratio est, quia, quando Reus post citationem personalem, se absentavit, & nullum Procuratorem ad res suas defendendas reliquit, præsumitur malitiosè, vel saltem ex aliqua culpa abesse. *c. Causam; 3. supr. de dolo*: ideòque potest adversarius, seu actor mitti ex primo decreto in possessionem rei petitæ, seu custodiæ causâ.

X. Ubi Notandum primò. Missio in possessionem ex primo decreto non potest fieri ex mero Judicis officio, sed non nisi ad instantiam, seu petitionem actoris; ut colligitur ex hoc c. ibi: *Iure petere potest.* quòd si Judex sine causa eam deneget, poterit Actor appellare. *Abb. hic n. 4.*

Notandum secundò. Non sufficit, quòd Reus contumaciter absens semel sit personaliter citatus, sed debet iterum citari ad actum immisionis in possessionem decernendum, & quidem peremptoriè, saltem per publicum edictum, si personaliter citari nequeat, & nullum Procuratorem constituit. *Abb. hic num. 11.* Quòd si nullus quidem relictus sit Procurator à Reo, se absentante post citationem: attamen aliquis, sive consanguineus, sive amicus ipsius veniat in Judicium

eum defensusus, is admitti debet, præstando prius cautionem de rato: neque tunc immitti potest Actor in bona rei absentis. *cit. c. ult. junct. Gl. V. Qui defendat.* quia tum cessat causa immisionis, nimirum, ut Reus tædio affectus veniat responsum, c. fin. §. In aliis; *Ut lite non contest.* cum tunc loco Rei absentis, veniat in Judicium, qui pro eo respondeat, cumque defendat. *Abb. in cit. c. ult. n. 3. h. t. qui tamen in c. Causam; 3. n. 14. de dolo.* notat, etsi non necessarium, in praxi tamen consultum esse, ut in edicto citationis ad domum absentis citati affixo addatur, ut, si quis ex consanguineis vel amicis absentem defendere velit, ad terminum præstitutum in Judicio compareat.

Notandum tertio. Si Reus, ante citationem, discessit, & se absentavit, ita, ut nesciatur, ubi sit, & nullum Procuratorem, vel defensores reliquit, nihilominus adhuc post affixum edictum publicum citationis, immissio Actoris ex primo decreto, seu custodia causâ fieri potest; ut docet *Gl. communiter recepta in cit. c. ult. V. Citationis. h. t. Arg. l. Ignorans; 4. C. de restitut. milit.* ubi dicitur, quòd, qui Reipubl. causâ absunt, sine fraude, seu dolo malo, & absentes non defenduntur, Actor in possessionem bonorum sit mittendus, ex primo scilicet decreto, dilata venditione bonorum illorum in tempus, quo Reipublice causâ abesse desierint. Neque obstat, quòd in *cit. cap. ult. h. t.* dicatur, si post citationis edictum, Reus discesserit, non relicto Procuratore, vel defensore, actor inducendus sit in possessionem rerum, custodiæ causâ: ergo argumento à contrario sensu ducto, antecitationis edictum, non debet actor immitti. Nam S. Pontifex in hoc c. respondet ad speciem facti ipsi propositam: ex verbis verò merè narrativis alicujus legis, quibus narratur factum, non potest sumi argumentum à contrario sensu ad excludendum oppositum, sicut neque, si contrarium in jure exprellum sit; ut ex communi doctrina docet *Abb. hic n. 6.*

XI. Porro, si Reus, ante citationem, discessit, & post affixum edictum citationis non se fuit, neque alium defensores habet, ordinariè actor in bona absentis Rei ex secundo decreto immitti non debet, nec bonorum venditio fieri; prout sumitur ex *l. Item de Prætor; 21. ff. ex quib. caus. majores. & l. Fulcinius; 7. §. Adeo & seqq. ff. quib. ex caus. in possess. ear. ubi dicitur, quòd Rei absentis bona possideantur (intelligitur ex secundo decreto) & vendantur, si is fraudulenter, sive malitiosè latitet: aliàs autem, si non ita latitat, licet non defendatur, in bona tantùm ejus Actorem mitti, scilicet ex primo decreto, seu custodia causâ: qui autem nunquam est citatus, non censetur fraudulenter, seu malitiosè latitare, sed potius creditur, cum absens sit, ignorare, actionem contra se intentatam esse. *Abb. hic n. 14.**

Excipi debet primò. Quòd ex causa damni infecti, si v. g. ex ædibus damnus timeatur, Actor, etiamsi Dominus absens non fraudulenter, vel malitiosè latitet, mittendus sit in possessionem ex secundo decreto, ita tamen, ut, si Reus postea compareat, & ostendat, se ex justa causa abfuisse, restituenda ei sit possessio. *l. Finita; 15. §. Si forte, & ibi Bart. in summa. ff. de danno infect. Abb. in cit. cap. ult. num. 15. h. t. & Imola ibid. num. 12. ubi*

tionem  
actione  
presè  
cundo  
ter: le  
realis.  
dilato  
runt, &  
ro. cit.  
Ex  
solvend  
non cor  
præsum  
procedi  
decreto  
etiam a  
absentia  
poterit  
non re  
in qua  
sta caus  
endum  
quam a  
quò, vel  
13. V  
ra dicer

An  
de

X  
fit in pe  
Rei cor  
contra  
tinendu  
necesse  
tis, sed  
finitiva  
dum, pr  
nensi re  
tur:  
» alio  
» quo  
» tum  
» tend  
» ficiat  
» abser  
» prius  
» defin  
tio hui  
stet de  
tamen  
examin  
titulum  
vel illu  
est, ne  
tamen l  
tatione

sonem ex secundo decreto, si agatur contra illum actione personali, juxta *cit. l. Fulcinius*; §. 1. ubi expressè requiritur, ad decernendam missionem ex secundo decreto, ut reus absens fraudationis causâ latiret: tunc, si agatur contra obligatum ratione vitii realis, ut in causa damni infecti, & noxali, in quibus dilatio periculosa est: ideòque ex celeritatem requirunt, & proceditur ad immisionem ex secundo decreto. *cit. l. fin. §. Si forte.*

Excipitur secundo, nisi quis obligatus sit ad solvendum certo loco, & tempore: tunc enim, si ibi non compareat, & nullum procuratorem relinquat, præsumitur malitiosè latitare: adeòque contra illum procedi poterit ad immisionem actoris ex secundo decreto, & bonorum distractionem: imò interdum etiam ad definitivam sententiam, non obstante Rei absentia, & quamvis malitiosè non lateat, procedi poterit, si talis causa sit, quæ liti contestationem non requirit: ut si Beneficiarius absit à sua Ecclesia, in qua residere debet, vel maritus ab uxore, sine justa causa, quia Clericus magis obligatus est ad servendum Ecclesiæ, & maritus ad cohabitandum uxori, quam alii, qui sunt obligati ad solvendum certo loco, vel tempore. *Innoc. in cit. c. ult. n. 4. Abb. ibid. n. 13.* Verum de immisione ex secundo decreto plura dicentur paulò post.

### §. II.

*An missio in possessionem ex primo decreto, seu custodia causâ, fieri possit in beneficiis Ecclesiasticis?*

XII. Quæritur primò, an Actor immitti possit in possessionem beneficii, propter contumaciam Rei conventi? Resp. Si quis agat Judicio petitorio contra possessorem beneficii Ecclesiastici ad illud obtinendum, non fit missio Actoris in possessionem beneficii ex primo decreto, ob contumaciam Rei absentis, sed ad recipiendas probationes, & sententiam definitivam, etiam lite non contestatâ, est procedendum; prout statuit Innocent. I V. in Concilio Lugdunensi relato in *c. Eum qui*; *unic. h. tit. in 6.* ubi dicitur: Eum, qui super dignitate, personatu, vel alio beneficio Ecclesiastico quocunque, cum aliquo controversiam habet, ob adversæ partis contumaciam, in possessionem beneficii non esse mittendum, ne hac ratione vitiosus ingressus in beneficium Actoris detur: sed lite etiam non contestatâ, absentiam Rei contumacis, Divinâ gratiâ supplere, prius diligenter examinato negotio, ad sententiam definitivam procedi, & causâ definiti potest. Ratio hujus decisionis colligitur ex textu: quia, licet constet de contumacia absentis possessoris beneficii, non tamen constat de jure, ac titulo Actoris: itaque prius examinari debet, an petitor, seu Actor habeat justum titulum: quia canonicè institutus fuit in beneficio, vel illud ei legitimè collatum fuit, aliàs periculum est, ne per vitiosum ingressum illud obtineat, cum tamen beneficium Ecclesiasticum, sine canonica institutione, non liceat obtinere, juxta *Reg. jur. 1. in 6.*

*Gl. h. c. V. Vitiosus*: ideòque non debet Actor immitti in possessionem beneficii, ob contumaciam Rei, nisi probaverit canonicam institutionem, vel collationem: quam si legitimè probaverit, adjudicabitur ipsi beneficium: si verò in probatione defecerit, non propterea adjudicabitur Reo absentis beneficium, ne ex sua contumacia commodum referat; sed absolvetur à petitione Actoris; ut ex Geminiano docet *Vivian. in ration. h. c.* & Judex poterit Reum, propter illam culpam contumaciæ, excommunicare, juxta *c. Tunc*; §. 3. Ut lite non contest. Er quia hoc casu non habet locum remedium immisionis in possessionem beneficii, ex parte Actoris, ob contumaciam Rei conventi, ut dictum, idcirco statim procedi potest, etiam lite non contestatâ, ad testium receptionem, & sententiam definitivam. *Franc. h. c. n. 3.*

XIII. Notandum primò. Dispositio hujus Decretalis procedit, quando controversia est super spirituali beneficio, non item, si super temporali præbenda separata à spirituali titulo beneficii: talis enim potest, sine canonica institutione, obtineri, & possideri. *Gl. h. c. V. Ecclesiastico*; adeòque cessat ratio hujus constitutionis, & consequenter etiam ipsa constitutio. *Gl. h. c. V. Ecclesiastico.* Deinde non habet locum, si non Judicio petitorio, sed possessorio *Vnde vi*, agatur; ut si quis spoliatus sit beneficio, potest intentare interdictum recuperandæ possessionis, & probatâ spoliatione, restitui debet in possessionem: eâ verò non probatâ, et si allegatâ, si reus conventus sit contumax, non debet Actor mitti in possessionem beneficii, sed procedi ad causæ definitionem, juxta *cit. c. un. h. t. in 6. Anchar. ibid. col. 2. prope finem.*

Notandum secundo. Quando ob contumaciam Rei conventi, Actor non mittitur in possessionem, custodiae causâ, tunc etiam lite non contestatâ, proceditur ad testium receptionem, & sententiam definitivam, si periculum sit in mora. *Gl. h. c. V. Eum qui*; *junct Gl. margin.* Solâ tamen contumacia non sufficit ad condemnationem Rei conventi, & ideo in *cit. c. unic.* Papa mandat diligenter examinari negotium, seu causam: quo factò, si constiterit contumaciam justam habere causam, debet pro eo ferri sententia, & ob contumaciam solùm condemnari in expensas, *l. Properandum*; §. 3. *Si autem ex gestis*; *C. de judic. Anchar. h. c. not. 6.* At verò in missione in possessionem ex primo decreto, custodiae causâ, sufficit, causam prius summarè examinari, & Actorem probare per juramentum, cum ex tali immisione sequatur modicum præjudicium. *Anchar. h. c. not. 3. Marant. de ord. Jud. p. 6. tit. de contumacia n. 12.*

Notandum tertio. Dispositio *cit. c. unic. h. t. in 6.* extenditur etiam ad fructus beneficii, quòd neque in eos fiat immissio, propter contumaciam Rei conventi, cum sint accessorii ad beneficium. *Arg. Reg. 42. in 6.* nec fiet eorum sequestratio, ob eandem rationem, nisi in casu *Clement. unic. de sequest. poss. & fruct.* *Franc. h. c. n. 1.* ubi tamen ex Baldo addit, id intelligendum esse de fructibus adhuc pendentibus, non item de separatis à solo, qui non censentur esse, ut fructus, sed ut proprietates, seu res per se distinctæ à beneficio; adeòque non censentur esse accessorii ad beneficium, sive connexionem cum illo habere.

XIV. Quæritur secundo, an, sicut in beneficio obtinendo, ita etiam in jam obtento non possit fieri

fieri immiffio, ex primo decreto in poffeffionem beneficii propter contumaciam Rei abfentis? Difsentiant DD. Gloffa in cit. c. unie. V. *Obtinendis*; affirmat, poffe fieri; quia ordinariè Aëtor, propter contumaciã Rei, mittendus est in poffeffionem rei petita, custodia caufã; cum ergo in cit. c. unie. contrarium ftatuatur folùm de beneficiis obtinendis, non debet id, quippe exorbitans à Jure communi, extendi ad obtenta. Alii verò communiter negant, poffe fieri immiffionem etiam in beneficiis obtentis, ficut non potest in obtinendis, juxta cit. c. unie. h. t. in 6. quia eadem est ratio in beneficio obtento, & obtinendo, ne fcilicet vitiofus detur ingreffus, qualis daretur, fi Aëtor immitteretur in poffeffionem beneficii obtenti, antequam constaret de jure ipsius, five nondum examinato, & probato titulo. Franc. in cit. c. unie. n. 4. & alii, quos refert Gl. margin. ibid. V. *Obtinendis*; lit. c.

XV. Verùm hac in re, ex communiore fententia, dicendum est primò. Si Aëtor, qui præten dit jus in beneficio, quia v. g. ad Prælaturam est electus, in eaque etiam confirmatus; vel quia à Papa aliquis Canonicatus ei fuit collatus, agat contra poffefforem Prælaturæ, vel Beneficii interdicto adipifcendæ poffeffionis, afferens v. g. illum esse intrufum per Simoniam in poffeffionem illius: hoc casu, etiam fi poffeffor, five reus conventus contumaciter abfit, non potest Aëtor mitti in poffeffionem beneficii ex primo decreto, custodia caufã; fed debet procedi ad testium receptionem, & fententiam definitivam; ac deinde Aëtor, si pro eo judicatum fit, mitti in veram poffeffionem beneficii. Idque probatur ex cit. c. unie. h. t. in 6. quia talis, licet electus, & confirmatus, vel aliter provifus fit, debet agere ad obtinendum beneficii, cum adversarius ipsius in poffeffione beneficii exiftat; adeoque in eo adhuc locum habet prædicti c. unie. constitutio, quæ prohibet, ne Aëtor, ob contumaciam Rei abfentis, mittatur in poffeffionem rei petita, custodia caufã: nam, quamvis is, qui agit, electus, & confirmatus, vel cui collatio facta est, contra poffefforem beneficii, non agat ad obtinendum beneficium, quoad jus, quod jam in beneficio habet; quoad poffeffionem tamen verè dicitur agere ad beneficium obtinendum; tamen si præcessit confirmatio, vel collatio, si agens non fit in poffeffione. Franc. in cit. c. unie. n. 6. not. 3. Accedit, quòd, cum immiffus ex primo decreto non fiat verus poffeffor, fed folùm custos rei, c. Cum venissent; 3. junct. Gl. V. *Causã custodia extra h. t.* fequitur, quòd Aëtor sic immiffus, licet habeat jus in re, five titulum ad beneficium; non tamen poffet, alio existente in poffeffione ejusdem beneficii, nec validè, nec licitè exercere jurisdictionem in foro contentiofo, feu externo, vel interno pœnitentiæ, illi beneficio competentem, vel jus eligendi, præfentandi, conferendi &c. cum exercitium horum jurium fequatur poffeffionem, & non proprietatem beneficii, donec plenè examinata caufã, & lata fententiã pro Aëtoze, hic in veram poffeffionem mittatur, & fic periculose immitteretur in poffeffionem talis beneficii ex primo decreto, seu custodia caufã. Durand. in spec. lib. 2. part. 1. rubr. de fecundo decreto. §. *Videndum*; 12. Abb. in c. pen. n. 16. in fine, & n. 17. *fepr. de dolo, & contum.* Ex quo infert Anchar. in cit. c. unie. h. t. in 6. not. 2. Quòd in dignitatibus, & beneficiis, quando unus poffidet, alius

verò præten dit titulum, seu proprietatem ad feper tinere, ante latam fententiã pro proprietate, major fit effectus poffeffionis, quàm proprietatis, quoad omnia, maxime quoad fructus percipiendos, inter quos numeratur etiam exercitium juris eligendi, conferendi, præfentandi &c. nam hujusmodi jura à non poffeffore, etfi domino, vel quali exerceri non poffunt. Abb. in cit. c. pen. n. 17. *de dolo*: postquam verò caufã proprietatis est in Judicium deducta, & legitime probata, tum abforbet caufam poffeffionis. c. Cum Ecclesia; 3. *de cauf. poff. & propr. Anchar. c. l.*

Dicendum fecundò. Si Aëtor agat interdicto *Vnde vi*, ad recuperandum beneficium, quo est fpoliatus, vel ex *Can. Redintegranda* 3. *cauf. 3. q. 1. tum, five novus poffeffor, fpoliator fcilicet, fit præfens, five contumaciter abfens, etiam non probato faltem plenè titulo beneficii, ordinariè restitui debet in veram poffeffionem, vi fententiæ definitivæ pro ipfo lata, dummodo Aëtor fpoliationem, vel antiquiorem poffeffionem probaverit. Anchar. in cit. cap. unie. §. *Querit*; Gl. magna hoc tit. in 6. ubi ait, fpoliatum agentem ad recuperationem fui beneficii non esse cogendum ad probandum titulum: quia, si fpoliatore præfente, contra quem agit, non debet ad id cogi, c. *In litteris*; §. *de restit. fpoliat.* multò minus, eo contumaciter abfente; nec propter contumaciam adversarii fpoliatus gravari debet in probatione tituli.*

XVI. Ceterùm prædictis addendum, etfi in caufis beneficialibus, matrimonialibus, & quovis periculum in mora est, si reus fit contumax, non debeat Aëtor immitti in poffeffionem rei, custodia caufã, fed statim ad decisionem caufæ deveniendum fit, ut notat Gl. margin. in cit. c. un. V. *Eum qui*; h. t. in 6. & patet ex dictis: in aliis tamè caufis, in quibus alius, etiam lite non contestarã, juxta *Clemen. 2. de Judic.*, ut decimarum, ufuræ, & in aliis caufis ibi enumeratis, immiffio Aëtoris in bona Rei contumaciter abfentis fieri debet; ut docet Anchar. in cit. c. unie. poff. not. 8. *Franc. num. 6. not. 2.* Ratio est, quia non iteo immiffio prius fieri debet in his caufis, quàm procedatur ad fententiam definitivam, quòd fententia ferri non debeat, nisi lite prius contestatã; fed etiam ad eam ferendam non requiratur litis contestatio, non est decens, ut feratur contra Reum abfentem, nisi necessitas cogat, quia periculum animæ, vel boni publici imminet. Neque refert, quòd immiffio ifta ex primo decreto fit remedium extraordinarium, quòd cessare debet, si fupperat ordinarium; juxta l. *In caufis*; 16. ff. *de minorib.* nam, præterquam quòd dici potest, esse ordinarium; ut post *Io. Andr. & Monach. docet. Franc. c. l.* regula illa folùm habet locum, si remedium ordinarium, & extraordinarium tendant ad eundem effectum: miffio autem in poffeffionem ex primo decreto, & fententia definitiva tendunt ad diverfa, illa nimirum ad puniendum contumaciam Rei abfentis: ifta verò refpicit justitiam, & merita caufæ; & cum miffio in poffeffionem fit quædam pœna, per quam Reus contumax compellitur ad comparandum, infervire etiam potest, ut fententia rectius ferri poffit, si

Reus, depofita contumaciã, fe fifat in Judicio, Abb. in cit. c. pen. n. 16. *de dolo, & contum.*

## §. III.

*Quid sit missio in possessionem bonorum ex secundo decreto Iudicis, quomodo, ac quando interponatur, & quis sit eius effectus?*

XVII. Assertio prima. Missio ex secundo decreto est secunda iussio Iudicis, quâ is jubet Actorem, ob perseverantem contumaciam Rei, mitti in bona ejusdem, ita, ut verus, ac incommutabilis possessor efficiatur, servatâ reo legitimâ defensione super proprietate, seu dominio bonorum, quæ Actor prius tantum, custodiae causâ, detinebat; prout sumitur ex c. 1. h. t. Durand. in spec. l. 2. part. 1. rubr. de secundo decreto, §. 1. Hostiens. in summa, n. 12. Et quidem in actionibus personalibus requiritur secundum decretum Iudicis, ut immisus ex primo decreto, post lapsum anni, fiat verus possessor: alioquin etiam post annum audietur reus super possessione. In realibus autem, ut in rei vindicatione, & aliis, non requiritur, ut interponatur; in his enim per solum cursum unius anni fit, & constituitur missus ex primo decreto in possessionem verus, & incommutabilis possessor, sine alio decreto, computato illo anno à tempore interpositionis primi decreti, c. Contingit; 9. in fine de dolo, & contum. c. Pastoralis; 11. in fine de offic. Jud. ordin. c. fin. §. In aliis; Ut lire non contest. & ibid. Abb. n. 16. Durand. c. l. §. Videndum; n. 20. Hostiens. in summa, h. t. n. 13. Ratio autem diversitatis, quare secundum decretum necessariò interponitur in actionibus personalibus, non autem in realibus, est, quia, qui agit rei vindicatione, vel aliâ actione reali, dicit se dominum rei, vel jus in re habere; cum autem immisus in possessionem rei ex primo decreto, elapso anno, verus, & incommutabilis fiat possessor rei, frustra peteret, ut ex secundo decreto Iudicis mittatur in veram possessionem rei, quam jam obtinuit per solum anni decursum; imò quia per secundum decretum datur immisso dominium rei, vel quasi, Actor petens, se immitti ex secundo decreto peteret se fieri dominum, cum tamen jam antè se dominum allegasset, & sic tanquam sibi contrarius non est audiendus. In actione verò personali Actor tantum petit, rem sibi deberi; in qua nec dominium, nec jus reale habet; unde requiritur aliud decretum ad veram possessionem rei alienæ obtinendam, per quod etiam

fit dominus, vel saltem præscribendi conditionem acquirit. Gl. in l. Si finita; 15. §. Si plures; V. Prius; ff. de dam. infect. Durand. c. l. n. 21. & 22. Abb. in cit. §. In aliis; n. 16.

XVIII. Assertio secunda. Secundum decretum interponi debet, ad petitionem partis, præviâ causæ cognitione, ita, ut Iudex inspiciat, utrum reus conventus Reipubl. causâ, vel ex alio justo impedimento absit, an verò per contumaciam: & tum reus absens citandus est, quia, ubi causæ cognitione, & partium præsentia opus est, ibi necessaria est citatio. Quòd si reus ter, vel semel peremptoriè citatus, si quidem inveniri potest, vel ad domum, si personaliter citari nequeat, juxta supra dicta, non compareat, tum, etiam, eo absente (quia contumax habetur pro præsentem) Actor ex secundo decreto Iudicis mittendus est in possessionem rei. Hostiens. in summa n. 15. h. t. Vvesenb. in parat. ff. De damn. infect. num. 4. Interponitur autem hoc decretum, post elapsam annum, à tempore primi decreti interpositi, nisi aliud justa causa suadeat, quod tempus saltem Iudices non solent prævenire. Hostiens. hic num. 14. in fine. Marant. c. l. n. 23. ubi ait, hoc verum esse de æquitate; alioquin id ad Iudicis arbitrium remittendum esse, cum Jure non reperitur hoc tempus definitum: consentit Hostiens. c. l.

XIX. Assertio tertia. Sicut Iudex ordinarius, qui saltem mixtum imperium habet, potest primum decretum interponere, ita & secundum. l. 1. & l. 1. ibique Gl. V. Jubere; ff. De jurisd. Durand. c. l. §. pen. quamquam Hostiens. in summa h. t. n. 14. dicat, secundum decretum per majorem tantum Iudicem fieri posse, nec per delegatum (saltem ab Ordinario inferiore Papâ, vel Principe) quia majorem causæ cognitionem requirit, quam primum, cum pinguius jus per illud acquiratur.

XX. Assertio quarta. Effectus secundi decreti est, ut ex eo immisus in possessionem, non tantum verus, ac stabilis possessor fiat, ita, ut fructus lucretur, dejecto, & remoto à possessione priore possessore, ac domino, l. Finita; 15. §. Ubi autem; 25. junctâ Gl. V. Justus est; ff. De damn. infect. l. 3. §. fin. junctâ Gl. V. Nobis; ff. De acquir. poss. sed etiam dominium rei acquirat, si reus, seu debitor erat dominus: aliàs verò præscribendi conditione acquirat. l. Prætoris; §. junctâ Gl. V. Ut missus; & V. Capere; & cit. l. Si finita; §. Julianus; ff. De damn. infect. & ibi Vvesenb. in parat. n. 4. Marant. de ord. Jud. p. 6. tit. de 2. decreto n. 13.

## T I T V L V S XVI.

## UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

Dictum est Titulo præcedente, Actorem, ob Rei absentis contumaciam, mitti posse in possessionem bonorum, de quibus lis mota est: ideo, ne quis existimet, regulariter aliquid posse licitè, pendente lite, innovari, quo status causæ pendentis in Judicio immuretur, in alterius præjudicium, iste Titulus subiungitur, in quo id generaliter prohibetur. Extat similis Titulus in Sexto, & Clementinis.

## §. I. Quando